



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorvm|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiaē, 1697

Cap. LXXXIX. Suum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

cap. causam 17. extr. de offic. deleg. c. cum inter 5. extr. de Except.

IV.

Suspicionem tollit par affectionis causa, l. non solum 67. §. uno. ff. de rit. nupt. Gloss. in cap. cum R. Canonici 35. de offic. & potest. judic. deleg. Speculat. in tit. de judic. delegat. §. 7. n. 2. Honthem. 1. de arte Notar. cap. 28. n. 33. & naturale foedus suspicionem mali excludit, cap. pen. extr. de cohabitaz. Clericor.

V.

Suspicio in iudicem cadere non solet, Carpz. P. 3. q. 104. num. 72. in crim. quippe qui vir bonus est, atque esse debet, l. sed si unus 17. §. ait Praetor. ubi Bart. ff. de injur. l. continuus 137. §. cum ita, ibi: ad iudicem, hoc est, ad virum bonum, ff. de V. O. l. vir bonus 18. ff. judic. solv. Iudicis enim sapientis est, semper verum sequi, habere in consilio fidem, religionem, æquitatem: libidinem autem, invidiam, metum, cupiditates omnes amovere, maximi æstimare conscientiam mentis suæ, meminisse posse, quem oderit absolvere, quem non oderit, condemnare, & semper non quæ velit ipse, sed quid lex & religio cogat, cogitare, eorumque omnium se DEUM habere testem, cui administrationis reddenda sit ratio, ut scribit Cic. pro Cluent. Unde si maximè causa suspicionis subit, propterea tamen iudicem, non in totum quasi suspectum removendum, esse, sed quatenus duntaxat, ut alius ei minus suspectus adjungatur, Nov. 89. Aurb. si vero contigerit. C. de judic. Glossa in l. apertissimi. verb. iudices. C. eod. tit. Myns. 2. observ. 51. Quin imò in crimine notorio tanquam suspectum reculari nullo modo posse, colligere licet ex cap. proposuit 24. ubi gloss. de appell. vid. Ant. Gomez var. resol. tom. 3. cap. 1. n. 46.

Suus heres. vid. Emancipatus.

CAP. LXXXIX.

Suum.

Axioma I.

Illud propriè suum esse dicitur, in quo plenam quis habet dispositionem & dominium, Bart. in l. Quintus. §. Argentò. ff. de auro legat. ubicunque igitur istud verbum suas in aliqua dispositione simpliciter ponitur sine adjuncto, in dubio de propriis, & non de alienis exponi debet, Bart. in l. cum in testamento. ff. de aur. legat. per l. debitor. 50. in princ. ff. ad SCt. Trebell. l. Salvius 6. ibi: patrem suum. ff. de legat. præstand. Alexand. consil. 23. Consideratis. col. 1. vol. 2. consil. 56. col. 1. vol. 1. Hyppolit. de Marfil. in sing. suis. notab. 21. Andr. Sicul. in cap. judicante. col. 9. de testam. Ludovic. Gomez. ad §. equè. Institut. de action. num. 18.

II.

Omnes scire debent, quod suum non est, hoc ad alium modis omnibus pertinere, l. cum quarebatur 11. vers. omnes. C. unde vi.

III.

Suum esse dicitur, quod ipsi auferri non potest, l. omnes 139. §. ult. ff. de R. I. l. non videtur 22. ff.

de acquir. possess. Hyppolit. à Collib. ad d. l. 139. §. ult. de R. I. Vult. 3. Consil. Marpurg. 24. n. 3.

IV.

De suis rebus quilibet facere potest pro voluntate sua, Gloss. in cap. 2. de jurejur. cum iustum sit, sua cuique committere, cap. pen. de sepult. & quilibet rei suæ sit moderator & arbiter, l. in re mandata 21. C. mandat. ac proinde de rebus propriis ad libitum quisvis disponere potest, l. fin. ff. de pact. l. id quod nostrum 11. ff. de R. I. Bart. in l. 7. ff. de pactis. Paulus Grylland. de sortileg. vers. septimo quaro. n. 21. adeò quidem, ut hæc regula etiam in abutendo procedat, l. etiam 18. §. 1. ff. solut. matr. l. non iug. 2. ff. si à parent. quis manumiss. l. sed etsi 25. ff. de pet. hered. Consil. Arg. 1. consil. 88. n. 15.

Limita: in casu publicæ necessitatis, tunc enim domini rebus suis privari possunt, iique conferre tenentur, quantum exigit necessitas. Quoniam tunc rerum suarum non tam sunt domini, quàm custodes. Perez. C. de annon. & trib. n. 11.

V.

Licetum est cuilibet in suo facere, quod lubet, etiam cum alterius incommodo. l. §. §. si servit. vind. l. 1. §. idem ajunt. de aq. plu. arcend.

Limita (1.) si inde præjudicaretur Reipubl. hinc nemo in suo potest facere, quò impeditur publicus navigationis usus l. 1. pr. de flumin. (2.) Fœdera Doctores & Studiosi prohiberi potest, ne in suâ domo cum strepitu opificium exerceat, Perez. C. de Stud. libenl. n. 6. & 7.

VI.

Suum jactare, perdere, deferere quilibet potest. Cujac. in recit. Cod. de Rescind. Vendit.

VII.

Suum jactare in dubio nemo præsumitur, l. cum de indebito 25. §. qui cum solvit. ff. de probat. l. fin. ibi: neg. enim sic homo simplex. C. arbit. tut. l. Campanus 47. ff. de oper. liberi. Glossa in l. si heres ab eo 68. §. fin. verb. errorem. ff. ad SCt. Trebell. Glossa in cap. quia verisimile. verb. concesserit. de præsumpt. Afflict. devis. 13. num. 21. Paris. cons. 39. n. 5. Vult. 3. Consil. Marp. 35. n. 203. Quilibet enim avarus præsumitur, per Gloss. in l. quæ dotis. verb. tenebitur. ff. solut. matrim. Mascard. de probat. concl. 151. vol. 1. & quilibet ad conservandum potius, quam ad perdendum tendit. Paris. cons. 39. n. 6. per text. in cap. super hoc 5. de renunciat. Vult. 3. Consil. Marpurg. 18. n. 104. vide supra lit. l. cap. Jactare.

IX.

Suis sumptibus militare nemo cogitur, §. cum sit Romana 10. de simon. cap. 16. de præscript. & nemo de suo beneficium facere tenetur, cap. precaria 4. 10. q. 2. imò quicunque subit officium civile vel personale, non debet erogare de suo, l. fin. §. personale 1. ff. de maneribus & honoribus, quia officium suum nemini debet esse damnosum, l. sed si quis ex signatoribus 7. ff. quando testam. aper. juxta illud Catonis:

Cum labor in damno est, crescit mortalis egestas.

(Ec) 2

CAP.